



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**M. Adami, Scriptoris Vetvsti, Historia Ecclesiastica,
Religionis Propagatae Gesta, Ex Hammabvrgensi
Potissimum Atque Bremensi Ecclesiis, Per Vicina
Septentrionis Regna**

Adamus <Bremensis>

Helmetadi[i], 1670

De Adamo Bremensi V. Cl. Gerhardi Johannis Vossii Commentatio Lib. II.
De Histor. Latinis, Cap. XLVII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11096

DE ADAMO BREMENSI
V. CL. GERHARDI JOHANNIS VOSSII
COMMENTATIO
LIB. II. DE HISTOR. LATINIS,
CAP. XLVII.

pag. 386.
edit. Lugd.
Bat. 1651.

M ADAMVS, Bremensis Canonicus, *historiam* vulgavit *Ecclesiasticam* de religione per diœcesin Bremensem, & plagam Septentrionalem universam, propagata à temporibus Karoli M. usque ad Henricum IV. hoc est annis amplius trecentis. Possevinus ait, vixisse tempore Benedicli VII qui anno MCCCCLXXXIV ad pontificatum est euectus. Sed fallitur: Uti &, cum *diversum* putat ab Adamo *vetere historico*; qui in *scriptis suis vitam retulit B. Ansgary*. Nam eam in Adamo hoc legas. Veram ætatem ejus cognoscimus inde, quod lib. IV cap. XVI. referat, *Bremam se venisse novissimis temporibus Adalberti Archiepiscopi*: quodque libro III cap. V. ait, anno ejus XXIV. hoc est Christi CLXXVII, *factum se Bremensem Canonicum*. sive, ut ipse loquitur, *indignissimum Ecclesie Dei matricularium*. Alterum quoque suppetit argumentum. Quippe opus hoc dedicat *Liemaro*, qui *Adalberto* successit. Liquet hoc, non ex præfatione duntaxat: sed etiam verbis istis Lib. III. cap. I. *De cuius viri (Adalberti) gestis & moribus, cum difficile sit aliquid dignum scribere; ad scribendum ea nos cogit necessitas; quoniam promissimus libelli hujus tenorem, ô venerande Præsul Liemare, usque ad diem tui pontificatus extendere*. Item ex epilogo, quem carmine fecit ad *Liemarum*: ex quo & discimus, juvenem hoc opus *luisse*. Sic enim inter alia ait:

Ergo fave votis, parce & juvenilibus assis.

Meminit hujusce scriptoris *Helmoldus* in *Chronicis Slavorum* lib. I. cap. XIV: *Testis est magister Adam, qui gesta Hammenburgensis Ecclesie Pontificum disertissimo stylo conscripsit: qui cum commemoret Slavam in duo de viginti pagos dispersitam, affirmat, præter tres, omnes ad fidem Christi conversos*. Quæ apud *Adamum* legas lib. II. cap. XVII. E recentioribus ejus sæpe meminit *Baronius*: cui ad annum MCCCCLXXX vocatur *sincerus chronographus*: item ad annum MCCCCLXXXIII *probatæ fidei vetus chronographus*: similiaque istis alibi habet.

BEATIS-